



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 110. Regis Hungariæ vana jactantia de Turcarum recessu

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C. 1476. intulit, & quamvis Stephanus variis præliis ad triginta Turcarum millia trucidasset, levis tamen erat ejusmodi jactura in tanto infidelium exercitu: præterea Moldavi, sive quod viribus suis diffisi, sive Palatino suo haud amplius pari affectu ac studio addicti essent, unice ad suos reverti contendebant, hanc ob rem & ipse Stephanus se benigniori fortunæ servare cogebatur: Turcæ autem depredatis nonnullis Provinciis Poloniæ finitimis ad sua quoque revertebantur, forte quod Casimirum, qui adversus eos movebat, pertimescerent, aut pestilentiæ & famis vi, qua non sine ingenti strage absumebantur, secedere compellerentur, sive denique quod hiems appropinquasset, & classis, quæ novam militiam, & machinas ad expugnandas munitiones subvehebat, sæva tempestate disjecta, ac pene integra periisset.

§. CX.

Regis Hungariæ vana jactantia de Turcarum recessu.

*Papiens.
epist. 656.*

Matthias Hungariæ Rex, ubi cognovit Mahometis exercitum recessisse, Turcam a se pulsum fuisse, solita sua jactantia ubique divulgabat. Idem quoque nimia facilitate credebant ipse summus Pontifex, omnesque Principes, populi,

puli, atque potissima urbium pars; qua-
 propter hi omnes ducenta Aureorum Sæcul. XV.
A.C. 1476.
 millia Matthiæ in prætensæ fortitudinis
 præmium, necnon pro sustinendis belli
 sumptibus suppeditabant. Ad has ta-
 men suppetias Mediolanensium Dux ni-
 hil conferre voluit, eo quod minus credu-
 lus sibi tam facile imponi haud patieba-
 tur. Ex adverso Ferdinandus heroica
 hæc Matthiæ facinora multis deprædi-
 cabat; hujus enim gloria in proprium
 quoque redundabat honorem; quippe
 Matthias Beatricem spuriam Ferdinandi
 Filiam duxerat.

§. CXI.

Matthiæ clades a Turcis illata.

Verum Regis factus paulo post detege-
 batur; Turcæ enim factis excursio-
 nibus Carniolam, Carinthiam, & Stiria
 partem foede vastabant, ac omnia cædi-
 bus replentes plurima Christianorum
 millia secum captiva abducebant, mox-
 que plurimas munitiones vi expugnabant,
 eo majori audaciæ ac furoris fiducia,
 quod Mahometem ipsum cum validiori-
 bus copiis haud longe distantem compe-
 rissent. Bonfinius, qui Matthiæ laudes
 describendas suscepit, hanc cladem haud
 diffitetur, asseritque, quod Mahometes,
 cum ad solemnia nuptiarum, quæ Rex
 P p 3 cele-